Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1823
Quelle:
Copyright:

Soſſii (Soſii) *de neapoli. Antoninam* puta *Antonini* ex O. P. ad infulas *Florentinas* a. 1446. evecti Inſtitutiones morales, quae titulo *Confeſſionalis*, *Summae*, vel *Summulae Confeſſionis*, aut *de Eruditione Confeſſorum* ſub ipſa Typographiae exordia ſaepenumero prelo proditae fuere. Tractatus, quem Codex noſter primum exhibet, eſt ejus Operis *Liber* II. in editis inſcriptus, *Interrogatorium*, et incipit: *Poſtquam ille, qui uult confiteri dixit ex ſe ea que uoluit* &c. Adhaeret in Codice *Proceſſus annuus quem faciunt Romani pontifices in die iouis ſancto*, ſeu Bulla dicta *in Coena Dom.* ſubſcripta ab Eugenio IV. a. 1436. *Florentie*, et Elenchus Peccatorum Cordis, Oris, Operis et Omiſſionis.

Fol. 71. *Incipit prologus ſuper tractatu de Inſtructione ſeu directione ſimplicium confeſſorum edito a fratre Antonino ordinis predicatorum.* Initium: *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio* &c. Reſpondet quidem hic Tractatus *Libro* I. in editis; verum ordine materiae diverſus, et multo copioſior eſt.

Fol. 204. *Incipit Tractatus de Reſtitutione editus a Reuerendiſſimo patre fratre Antonino Archiepiſcopo florentino.* De Reſtitutione agit etiam in editis *Liber* III. ſed noſter magis accedit ad magnam *Antonini Summam Theologicam* P. II. Tit. II. c. 2. edit. *Veron. 1740. col.* 365. f. cujus ἐπιτομη videtur. Incipit: *Circa materiam reſtitutionis ſeu ſatisfactionis notandum* &c. et quae in editis priora ſunt de *viginti manibus*, hic fiunt poſteriora. Fatum eſt omnium Excerptionum et Compendiorum, ut a diverſis, qui manus iis admovent, augeantur, contrahantur, tranſponantur, interpolentur &c.

Adſcriptae ſunt ad calcem *Rubrice decretalium Gregorii* IX. et *Regule iuris.*

DCCLX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U.215
Folior. 276. 4. nitide ſcriptus et rubricis diſtinctus continet: I. *Guidonis de Monte*, ut ego quidem autumo, *Rocherii* (Montrocher) non *Rotherii*, qui error per ſimilitudinem literarum *c.* et *t* illo aevo multum committebatur, *Manipulum Curatorum*, Opus quondam perutile, et, ut ita dicam, *Vade mecum* omnium, qui animarum cura diſtinebantur, id quod repetitae Seculo ſtatim XV. Impreſſiones teſtantur, quarum rariſſimam *Viennenſem* a. 1482. 4. indicavi in *Supplem.* vernac. ad meam *Typographiae Vien. Hiſtoriam*, 1793. p. 27. 4. ubi etiam de Autore egi. Dicatio ad *Raymundum Valentinum* Ep. incipit: *Fons ſapiencie dei verbum diſpoſicione mirabili* &c. *Raymundum* hunc *Gaſtonum* habeo a. 1348. vivis exemtum. Ad calcem hujus Dicationis: *Scriptum Turoli Anno Domini MCCC33°.* non igitur 30. ut eſt apud *Fabricium.* Quid vero *Turoli*, niſi Librarius noſter illud ex abbreviato *Turonis* vel *Turonib.* corrupit? Sequitur Operis